Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 761
Quelle:
Copyright:

Neque de *Johanne* autore, nec de *Engelberto* certi quid dicere habeo.

X. *fol.* ult. *Epytaphium magistri Anselmi.* Adde *Laudunensis.* Hujus enim Sepulcrum *Lauduni* a. 1117. ita inscriptum fuisse adferitur *Galliae Christ.* T. IX. *col.* 560. Sunt vero ibi Versus 10. quorum Codex tantum 4. primos exhibet:

Conditur hoc tumulo celeberrimus ille magister
Anselmus &c.

Integrum etiam legitur in *not. Andr. Quercetani* ad *Hist. Calamit. Petri Abaelardi* p. 1163. et in edit. *Opp. Hildeberti Cenom.* supracit. *col.* 1321. ubi pro *Anselmo* habes perperam *Ansellum*, quem *Beaugendreus* Cantorem S. Sepulcri *Parisiis* fuisse hariolatur.

Adtexta est nota illa de B. V. Antiphona: *Salve Regina misericordię* &c. quam alii ad *Hermannum Contractum*, alii ad *Gregorium* II. ad S. *Bernardum*, ad *Petrum Compostellanum*, aut *Adhemarum Podiensem* Episcopos referunt, ut est apud Celsiss. *Gerbertum de Cantu et Mus. sacra* T. II. p. 37.

CCXXXIV. VIII. E. 17.

Codex membraneus lat. Sec. 366
XIII. Folior. nunc 101. f. per duas columnas nitide scriptus, rubricisque enotatus, olim *Monachorum congregationis S. Justine alias Vnitatis pro Monasterio S. Justine de padua*, ut *fol.* 1. et 66. dicitur, continet: I. Excerpta ex *Augustini* Libris *de Civitate Dei, de Doctrina Christ. de Trinitate, contra Faustum Manich.* et pluribus aliis. Sequuntur

II. *fol.* 18. p. 2. *Benedictiones* pro horis Canonicis singulis Hexametris redditae. Sunt vero *de Aduentu* XII.

Omnipotens omnem ueniens illuminet orbem. &c.

De Nativitate totidem:

Omnibus ornatus tribuat de virgine natus. &c.

Cotidiane XXXII.

Alma pii patris benedicat dextera natis. &c.

Euangelistarum IV.

Gaudia summa dei capiamus ab ore mathei. &c.